D: Heinsio. Doctissime Domine

6\. Si serio semel hanc Poetriam picam objurgaveris, confidere possis actum iri tecum haud paulo in posterum clementius, et aliquando hâc solenni molestiâ dissolutum iri. Quanquam et aliunde eandem spem sperare juberis. Jam enim conditionem transfretandi in Britanniam nacti videmur per occasionem destinatae legationis ad illum Regem, ubi fortè opellâ iterum nostrâ uti Patriae Patres dignabuntur. Itaque cum Synodus Nationalis in mentem venit, et quam in eâ personam sustinueris, gratulor progressibus meis, quod haud dissimili conditione ad Rem Publicam admoti sumus. licet onere certe prorsus impari. Sed ad institutum redeo. Ecce autem rem novam adfero. Impenderam aliquot nuper dies lectioni Juvenalis, Horatii atque aliorum ejus farinae, quorum Poesis prisca virorum est, per Justitium nimirum, et Halcyoniae Curiae nostrae, cum tacitè huic animo obrepsit blandum illud imitandi κακόηθες, quo rudiores quosque Musarum Tyrones obsideri, videre nonnunquam soleo. dum, sicut in fabrorum officinis pueri vel simiae nullum non instrumentum adspiciunt, quin et manibus contrectare gestiant et successu vel pari vel feliciori contrectaturos autument, ita et isti nihil eorum quae oculis vel auribus hauriunt inaccessum sibi arbitrantur. libuit nihilominus insanire quandoquidem otiari dabatur, et (non intercedo quin succenseas) non difficilis ad Heinsium accessus, cui nimirum obtrudere possemus, quidquid hoc in genere novercis Deabus extorquere contigisset. De Argumento etiam ± ut ne sileam, scire debes natum illud mihi et oblatum nuper admodum in convivio nuptiali, quo pars quotacunque vocatis, cordatiorum et peritioris judicii virorum admonitione, tale quid observasse mihi videor ±atque Misogamos iste pro se fert. Non adeo inepta Satyrae materies, si cui non ineptus ad hanc rem calamus obtigerit, quod quam a me alienum sit uti non ignoro, ita humanitati tuae, quod censurae non ausim, ingenuè subjicio. Vale Vir Maxime, et si minus ad palatum fecerit, quam hic opinionem amplecti videri volumus, identidem cogita non tam veritatis asserendae gratiâ, quam satyram pariendi prurigine, facere nos quod facimus. Hagae Comitis ... Cal. Octobris 1620.